ORATIO

In Funere Sereniſſimi

FRANCISCI MARIAE II.

Feltrij de Ruuere Vrbini
Ducis VI.

AVCTORE

DOMINICO CAESARIO
Foroſempronienſe I. C. & Prothonot.
Apoſtolico.

Ad Illuſtriſs. D. Comitem

HERCVLEM BENTIVOLVM.

BONONIÆ M.DC.XXXI.

Typis Clementis Ferronij. Superiorum permiſſu.

85
4

ORATIO

In Funere Sereniſſimi

FRANCISCI MARIAE II.

Feltrij de Ruuere Vrbini

Ducis VI.

AVCTORE

DOMINICO CAESARIO

Foroſempronienſi I.C. & Prothonot. Apoſtolico.

Ad Illuſtriſs. D. Comitem

HERCVLEM BENTIVOLVM.

BONONIAE MDCXXI.

Typis Clementis Ferronij. Superiorum permiſſu.

ILLVSTRISS. D. COMITI HERCVLI BENTIVOLO Domino meo maximè colendo.

AD Sereniſſimi Franciſci Mariæ Vrbinatium Ducis merito omnium primi, imperſcrutabili autem fati arcano nouiſſimi funus Præfectum me iuſſis ſuis appellauit mea eidem Principi deuinctio non ſolùm Naturæ, verùm etiam ſummæ apud illum benignitatis in me legibus mancipata. Renuit animus propriæ tenuitatis optimè conſcius, præ auguſto virtutum aceruo, quæ apud Demortuū in animis mortalium immortaliter vixerint, anguſtiſſimus. Sed tandem illud fiduciæ aſſumpſit, vt lacrymarum ex intimo cordis fonte manantium copia tantæ amiſſionis damno auara, licet ab inexhauſto doloris ærario affluentiſſima non parum afferret excuſationis, ſi iuſtè Principi meo facienda illius laudibus longè inferiora viderentur: quicquid enim encomiorum Franciſco Mariæ Sereniſſimo debetur, vix animo, nedum oratione compræhenditur. Tu, Illuſtriſs. Domine, excipe lacrymas ad Feltriæ Quercus caſum gurgitatim effuſas, vnde tuo gentilitio ſtemmati aureæ glandes obuenerunt. Excipe, inquam, ad obſequium meum maioribus tuis, tibiq́; iamdiù dicatum, quod tandem aliquando publicè debuit apparere, vt de veſtris in me fre-

*quentiſſimis meritis non obſcura confeſſio appareret. Vir-
tutes tuas non vulgares ſtudioſus reticeo, ne videar ip-
ſum me quodammodo laudare; qui earumdem cultui iam
inde ab adoleſcentia longiſſimis gradibus ſuccreſcenti per
annos manum admoui. De ipſis Romanæ Curiæ ſingulo-
rum hominum iudici acutiſſimæ ſermonem relinquo. Iſt[a]
ingenium, ac iudicium tuum, vtrumq; in ætate immatur[a]
maturum ad amuſſim (vt omnia conſueuit) emetita tui[...]
ſe propter Illuſtriſſimi Hieronymi parentis obitum abſtra-
ctionem non paruum doluit; quòd de tuis ingentibus anim[i]
dotibus ſpes non temerè quidem conceptæ fructum eſſen[t]
prorogaturæ. Si Curialium expectationi non breui adeò
ceſſura tua de rebus domeſticis cura, neceſſitatis impulſu[,]
intercepta vnquam ceſſerit, ſenſerint omnes non minorem
lætitiæ ob tuum ad ſeptem colles reditum, quàm mœroris
ob diſceſſum ab iiſdem, diuino beneficio contigiſſe. Valeas,
& de feliciſſimo tuarum virtutum exitu confidentiam
communi patriæ ornamēto diutiùs ne comprimas. Romam
demum redeas, vt, vbi cum magno clientum numero patro-
ciniū laudabiliter agitaſti, ibi ad impenſiorem tui gloriam,
communemq; vtilitatem iudicium exerceas.*

Dominationis Tuæ Illuſtriſs.

Cliens addictiſſimus

Dominicus Cæſarius.

ORATIO
IN FVNERE SERENISSIMI
Franciſci Mariæ II.
Feltrij de Ruuere Vrbini Ducis VI.

HEu dolor, Ciues optimi, nulla temporis edacitate quamuis auariſsima conterendus. Heu, inquam, dolor à tetro rerum omnium, quæ non modo præſentium, ſed etiam abſentium animo, quæ auribus, quæ oculis ſubijciuntur, aſpectu. Animus ſecum tacitus recogitat æui quondam florentis amiſſam felicitatem. Aures videntur percipere pijſſimas Sacerdotum preces acerbis lamentationibus intermixtas, nec non muſici concentus armoniam mœſtitiæ, ac doloris notas exprimentem. Oculi ſibi obijciunt feralem machinam à molis quantitate, ſed multo magis ab artis magnitudine auguſtiſſimam, nihil præter anguſtias, & calamitates referentem. Suſpiciunt quodammodo ſacros templi parietes vndique pullatos, quippequi in optimæ ſortis occaſu tantum lu-

cis aſpexerint, vt quaſi animi cōpotes veterem lætitiam cum perpetuæ ægritudinis indumento, perpetui luctus teſtimonio, exuendam indicarint. Hoc vnum ſupereſt ad lucis intermiſſæ nutrimentum, nempè faces, & tedæ. Verum, quia per indeficientes iſtarum flammas vmbræ adſtantium oculis longè denſiores apparent, eorumdem animis ad ſummam horroris acceſſionem clarius colluceſcunt. Ecquis verò cuncta tenebrarum ſquallore, inſtar nubis non parum denſæ, dum fumus perundat, obſeſſa admiretur? Iam Phębus, qui micantiſſimis benignitatis ſuæ radijs tenebras diluere conſueuerat, in occaſum abijt, cum noſtri omnium caſu acerbiſſimo. Iam Franciſcus Maria Dux noſter Sereniſſimus (liceat mihi ſæpè, ac ſæpius Heu dolor, repetere) diem obijt, noctem adijt nobis omnibus, quàm maximè luctuoſam. Iure merito Franciſcum Mariam Phębi nomine appello, qui præſentis vitæ Orbem perluſtrans totius Orbis ſpatium virtutum omnium ſplendore illuſtrauit. Nunc ipſo abſente, lux abeſt, & ſplendor: adeſt luctus, & ſqualor, vterq; perpetuò cum ingenti miſeria duraturus, quoniam illius à nobis abſentia æquè miſere, ac perpetuò eſt duratura. Abeſt

Prin-

Princeps letheis vmbris circumuentus: ſed illius animus ibi feliciter adeſt, vbi non modo nihil vmbratum videt, ſed potius lucem illam inacceſſam per immortalitatis donum diuinæ liberalitate viuaci ſenio, viuacioribus meritis opulenter retributũ efficit clariorem. Non mirum igitur, ſi hoc tempore oculis noſtris in lacrymarum Oceano vehementiſſimis dolorum ventis agitato nihil aliud obijcitur, niſi vmbra, & horror: quicquid enim lucis in Orbe terreno radiabat, Franciſcus Maria mortalitatem exuens, in cœleſtes orbes immortalitati donatus aſportauit, vt qui nouus lucifer ex illis fortunatiſſimè ortus, per decimum ſextum luſtrum nobis liberaliter illuxit, morum ſanctitate adauctũ ſplendorem ijſdem non ingratus reſtitueret. Sed quo longiùs huiuſmodi ſplendor à nobis receſſit, eo micantiùs in animos noſtros hunc ipſum illabentem ſentimus. Vt enim, ſi velis oculorum aciem in lampadem Phœbeam emittere, illa ſuo nitore caligantem remittit: ſic ad Franciſci Mariæ virtutum fulgorẽ (quam diu inter nos vixit) mentis noſtræ acies omninò imbecilla caligauit. Nunc illas maximè diſtantes clariores aſpicimus. Nunc, quantæ apud nos fuerint, carendo,

di, ſed cum noſtro ingenti damno, & malo
intelligimus: tantoq; magis, quod nemo non
piè, atque, ac lacrymabili memoria proſequitur
Principis noſtri in Deum O. M. pietatem, vn-
de tanquam ex perenni fonte cæteræ virtutes
publico ſibi parentium commodo, laudatiſſi-
mo æqualium exemplo affluenter emanarunt.
Hinc ſumma, quam ſummi viri, Deo nunquam
ſatis commendata admirabantur ſapientia, cum
in illo ſingulari beneficio Solonem referens,
quoties de negocijs politicis, & moralibus, vti
modeſtiæ ſuaſu de illis etiam rebus, quas ad a-
mußim cognouit, apud ſemetipſum arrogantiæ
notam euitaret, interrogauit, plus certè con-
ſiliorum ipſi, conſilio dando, quàm idem acci-
piendo, retulerunt. Vnde ſubditi ab illo dam-
noſo periculo aberant experiundi, num gra-
uius Ciuitatem afficiat malus Princeps, qui
optimis Conſiliarijs vtitur, quàm mali Conſi-
liarij, qui optimo Principi operam ſuam impé-
dunt. Enim verò non potuit praua conſilia ex-
cipere optimus, ac ſapientiſſimus Princeps, qui
nullum alium tutiùs, quàm ſe ipſum (ne rerum
difficultatibus opprimeretur) adhibuit Conſi-
liarium: imo ad cuius ſanum conſilium, veluti
ad Apollinis oraculum primarij Principes in

rebus non minus dubijs, quàm frequentibus, cum frequenti vtilitate non dubia confugerunt. Hoc referatur Iuſtitia omni loco, & tempore incorrupta, ideoq; inter nubes capite nihil velata, quoniā nullius amori, nullius odio apud illum ſubiecta. Huius ſtimulis, quos ſemper animo acutiſſimos ſenſit, adactus, alterum ex oculis in ſubditorū vitia, ad pœnam, alterum in ipſorum virtutes, ad præmium, firmiter intendit: nullum cum damno alieno in gratiam admiſit: nulli annulum ſuum patefecit: delatoresq Ciuitatum cōtagia non audiuit: nullum in iudicio, niſi meritorū diſcrimen habuit: iniurioſas potentiū vires propulſauit: ſummum ius, *quò cetera iniquius eſſet*, cum Auguſto interdum non excluſit, vt plurimùm verò Clementiam probauit: populos liberali annonā in pacis dulcedine amantiſſimi parentis inſtar enutriuit. Si hæc ſunt incorruptæ Iuſtitiæ indicia, erunt etiam genuinæ Prudentiæ teſtimonia. Viguit ſemper vel in vltimo ſenio apud Principem noſtrum tenax adeò memoria, vt quicquid à ſummis viris audierat, aut libros voluntando perlegerat, fideliter retineret, non ſine maxima omnium admiratione, vt potè, qui licèt grauiſſimis negotiorum curis arctè, contenteq;

teq; detineretur, ſingulis tamen illarum ſtudioſè intentus, quæ iam diù tranſacta erant, mente non erronea recoleret: præſentia, vel tenebris obtecta introſpiceret, & eadem opera, quæ longè aberant, quaſi ante oculos obuerſantia præſagiret. Cum hæc ita ſint, quis in eo rerum omnium ſciētiam perfectè excultam deſideraſſet? Seu verius loquar, non æque verè, ac ipſam veritatem conieciſſet? Huc viros omnium eruditiſſimos appello. Vos, qui cum Franciſco Maria de ſingulis rebus frequenter diſputaſtis, illud (fidem veſtram imploro) profari ne pigeat, an eū cuiuſpiam virtutis cognitio (& quod longè pluris eſt apud Principem) actio, ſubterfugerit? Reſponſum accipio, Ciues, Franciſcū Mariam non minus Muſarum, quàm Vrbinatium Principatum habuiſſe meritiſſimum, in cuius interitu litteræ pariter, æqualiterq; interierunt. O perpetuam ſæculi noſtri calamitatem confluente lacrymarum copia deplorandam! Ergo Princeps noſter Sereniſſimus interijt, illudq; nobis omnibus, quin Italiæ (dicam amplius) Europæ vniuerſæ perpetuò dolendum, quoniam in rebus aduerſis auxilium, in ſecundis interijt ornamentum. At non interijt. Cum poſt ſe famam à rebus
lau-

laudatiſſimè geſtis poſterorum omnium aures, iniucũdè verberatũram reliquerit, quod Principis noſtri (parum abfuit, quin dixerim diuini) ætatem ab eo feliciſſimam non aſpexerit, verius dicendum eſt, perijt. Enim verò, *qui per virtutem peritat, pol non interit*. Cur igitur non nunquam periturum apud homines accepit imperium, tanto virtutum ſplendori inæquabile ornamentum, aut longè, quàm meritorum cumulo debebatur, exilius præmium? Vt illinc optimum æquè, ac maximè diuturnum cunctis, cuncta optimè regendi exhiberetur exemplũ: vnde ipſimet exhibitori, ad meritorum auctionem merces in Cœlis eximiè aucta reponeretur. Conſueuerunt Principes variæ litteraturæ viros apud ſe liberaliter fouere, vt generis nobilitati, vnde nihil laudis, ſi à virtute abſit, deriuatur, optimarum artium cognitionem ſempiternæ gloriæ fomentum adijciant. Sed qui apud Franciſcum Mariam doctrinæ Theſaurum vixerunt, illud conſtantiſſimè aſſerunt, ſe multo plura in Vrbini Aula, quàm in omni vel ſupra, quàm dici poſſit, ſciẽtijs omnibus præſtanti Academia percepiſſe. Vnde igitur extẽporanea de rebus arduis reſponſa, & ſingula quidem prudentiſſima? Vnde

de ſana conſilia cum ſapiẽtiſſimis Licurgi ſenſibus meritò conferenda? Vnde negotiorum, quæ inextricabiles labyrinthi vias referrent, explicatio feliciſſima? Certè ab exculta in eo diuinarum, humanarumq; rerum ſcientia. In tam referta cognitionis, actioniſq; virtutum copia mihi obijcitur contemplanda fortitudo; quę in Principis noſtri ſtẽmate gẽtilitio, Quercum non temerè acceptam, ſed meritò diuinitus datam rebus apertiſſimis oſtendit etiam apud illos, quorum oculi in meridiano ſplendore poſſunt caligare. Cum de Vrbinatium Duce loquor, in eo non corporis, animi robur, tanquàm præclarius, & excellentius conſidero. Iſtud adeo abundè in ipſo floruiſſe, compertum eſt, vt ſapiens quiſq; illinc Federici, & Franciſci Mariæ maiorum ſuorum, quos omnis poſteritas duo belli fulmina nominabit, exactam imaginem illinc referri iudicaret. Et ſi fortitudo conſideratam habet periculorũ ſuſceptionem, quę (amabò) pericula Franciſcus Maria non ſuſcepit in bello maritimo, ſub auſpicijs Pij V. felicis memoriæ Pontificis Maximi, contra Turcas ad Chriſtianæ Religionis auctionem feliciter ſuſcepto? Illic athleticè, quòd florẽtem viribus ætatem, ſed multo ma-

gis virtutibus florentem animum decebat, pu-gnādo ſatis apertè indicauit; ſibi in poſterum occaſionem potiùs, quàm voluntatem belligerandi defuturam. Verùm, ſi libeat hanc ipſam virtutem ex rerum aduerſarum perpeſſione facillima conijcere, iſto etiam nomine Franciſcum Mariam Principē animo ſatis validum nuncupemus. Qui per Oceani vndas vehuntur, multa periculorum incommoda, & ſolicitudines ſentiunt, quæ in corpore huc, illuc exagitato animum pariter exagitant. Præſens vita Oceanus eſt ventorum à fortunæ impetu inuicem aduerſantium re vera æſtuoſus. Nemo licet fortunatus transfretauit, non aliqua tempeſtate perculſus. Is verè laudandus, qui cùm tempeſtatem vitare non poſſet, in ſumma corporis agitatione, animi tranquillitatē non amiſit. Num iſtud, quicquid eſt, laudis, ſibi vendicarit Princeps noſter Sereniſsimus, vobis Auditores, iudicandum relinquo, ſtatim vt vnicum exemplum, quod inſtar multorum fuerit, memorauero. Poſt virilem ætatem priori ſine filijs vxori diuino beneficio ſuperſtes, ne Sereniſſima Feltriorū à Ruuere Familia penitus corrueret, ſed aliquo potiùs munimento firmata inſiſteret, fœminam duxit ex propria

Domo lectiſſimam, nomine Liuiam, virtutum
omnium ornamẽto omnibus notam, lacryma-
rum à nobis obſtetricem pientiſſimã, & quam-
uis eidem luctui non exemptam, indicibili ta-
men prudentia, quæ fœminei ſexus terminos
antecellit, ab illis, pro noſtri omnium ſolatio,
alienam. Huic aluo, ſubditis vndequaq; plau-
dentibus, iam plena, omnia illorum precibus
tẽpla, omnia votis altaria implentur, vt à Deo
tanti beneficij cumulus impleatur. Annuen-
te Diuina prouidentia, naſcitur filius maſcu-
lus, in læta votorum ſolutione regio more nu-
tritur, maxima ſui ſpe apud omnes concitata
augetur, cum Sereniſſima Claudia Medicea
matrimonio cõiungitur, poſt filiam ſuſceptam
in florenti ætate improuiſo mortis telo (heu fa-
ta!) perimitur, feruentiſſimis ſubditorum la-
crymis ab imo pectoris fonte ſcaturientibus
lauatur, in ſingulis eorum cordibus Amore
Pollinctoris officium gerente, ſepelitur. Cuius
Parentis animus licet peracerbus ab inopinati
adeò principis acerbitate non refugiſſent? Cuius
parentis animus, licèt multa prudentia muni-
tus, illam calamitoſi caſus tolerantiam labe-
factatus non concidiſſet? Et tamen Princeps
noſter, quamuis annorum plenus, vbi exem-
po-

poraneam vnici filij mortem audiuit, vt anno-ſiſſimæ Quercus ſuæ, quam rerum aduerſarum Aquilones concutere potuerunt, nō excutere, firmitudinem æmularetur, ſupra quod conſuetam maieſtatem decebat, nihil omninò commotus, illud cum Sanctiſſimo Iobbo patientiæ exemplari vſurpauit: *Dominus dedit, Dominus abſtulit*. O animum (exclamo) humani ſenſus profectò non expertem, ſed quolibet duriſſimo adamante firmiorem! Corruit filij vnici, quem vnicè diligis vita, & cum eò corruit antiquiſſima Feltriorum Familia inter eas, quæ vniuerſam Europam & toga, & ſago illuſtrant, primaria. Corruit quicquid fuit Vrbinatium felicitatis confidentiæ: tu verò non corruis, niſi in diuinæ prouidentiæ cognitionem profundiſſimam. At iſtud corruere quid (obſecro) eſt? Nihil aliud certè, niſi adeo inconcuſsè, firmiter adeò ſtare, vt nullo vnquam tempore, nulla vnquam occaſione à recta ſententia valeas dimoueri. Perpendite mecum, ſi vultis, Ciues, Iobbi dicterium diuini, non humani Principis ore expreſſum. Agnoſcite in illo virtutum omnium, quas ſupra ſingillatim commemoraui, excellentiam. Agnoſcite Iuſtitiam, cuius ſuaſu (etſi Pater filium genuit, quia ta-

men

men à Deo rerum omnium Conditore ſapientiſsimo creatum non ignorat) illius liberalitati acceptum referens, non inuitus reſtituit. Agnoſcite fortitudinem, quæ aduerſantis fortunæ impetum omnia ſubuertere conantem facillimè repellit. Agnoſcite Prudentiam nihil apud mortales, non mortale ſecum ipſa reputantem. Agnoſcite poſtremò Temperantiam, quæ in rerum anguſtijs nō lacrymas omninò inutiles, ſed laudes, & grates Deo Optimo Maximo gratiſſimas, ſibi quàm maximè proficuas perſoluit. Et ſi frequentiores, vberioreſq; iſtius virtutis fructus deſideratis, ſingulos Franciſci Mariæ ætatum gradus attentis animis percurrite. Illud ſi contingat, nihil eo continentius, nihil moderatius inuenire nobis contigerit. Enimuerò cuius vnquàm in longiſſimo vitæ curſu honeſtatem læſit, aut ab alijs læſam non æquabili pœna compenſauit? Cuius domum, vel agrum (non dicam) abſtulit; verum etiam (quod multo leuius crimen eſt) anxius concupiuit? Quibus tributis, ſeu vectigalibus auaritiæ ſuaſu ſubditos onerauit? Quis locus in ditione vniuerſa longè etiam remotus, miſeris temporibus, cum fames in Italiam apertimè graſſaretur, à Principis ſui li-

bera-

beralitatē eximium leuamentum non accepit? Mitto publicas, & priuatas eleemoſynarum largitiones, quæ nunquàm deficiente ſui frequentia, indeficientem illi theſaurum in cœleſti ærario condiderunt: ipſæ namq; ſexcentis linguis per ora pauperum agitatę ſatis abundè loquuntur, dum Sereniſſimo Vrbinatium Principe amiſſo, piæ liberalitatis Patrem ſe amiſiſſe miſerrimis vocibus lamentantur. Non poſſem hoc loco ſine criminis nota pręterire Principis noſtri Temperantiæ teſtimonium ex omnibus certè, quæ in medium afferri poſſunt, laudâtiſſimum. Eo ſane perfectior eſt Temperantia, quo effrenatiora animi coercet deſideria. Verùm enimuerò ecquid hominis ingenio altiùs à Natura inſitum, quàm libido imperandi? Hæc omnia ſibi licere arbitrata, in ipſa fidei fractione virtutem ceteris præcellentem videtur agnoſcere. Iſta cupiditas in alijs immoderata in Principe noſtro modos habuit, ſeu veriùs dicam, Princeps moderatiſſimus non ſine ingenti laude illi modos impoſuit. Idcircò imperium à Sereniſsimi Guidonis Vbaldi parentis, quem honoris cauſa nomino, morte acceptum nō modò iuſtiſsimè habuit, verùm etiam vniuerſa administratione (quod difficillimè

 con-

conſueuit accidere) in vltimo ſenio abdicauit, eadē Apoſtolicæ ſedi, vnde in ſuos maiores obuenerat, reſtitutā. Veruntamen reſtituendo nihil amiſit; quinimò in regni abdicatione regnum excellētius inuenit, illud vtiliter expertus, ſe nunquam magis Dominum fuiſſe, quàm vbi publicis curis, quæ ſui cura hominem angunt, mancipatus cum ſuimet imperio Dominus fuit. Iſtud facinus, quod vires humanas videtur ſuperare, quoniam hominis ſenſum ea in re difficillimæ repreſsionis vincit, iam diù confirmata virtutum omnium nutrimenta ad præſagium adduxit, vnde nō minùs pollentem robore ſenectutem demonſtraret, quàm olim iudicio ſeneſcens adoleſcentia acerrimis etiam Iudicibus apparuit. Hinc cibi, ſomniq; parcitas: hinc voluptatum, & deliciarum frugalitas: hinc facilis etiam in ſenio laborum, & vigiliarum non breuis, neq; infrequēs tolerantia: hinc librorum agitatio indefeſſa, quæ tamen adminiſtrationi politicæ nihil adimeret, imò in hanc ſemper intenta non parum commodi, ac vtilitatis conferret. Apud omnes igitur ceſſet de illius robuſtiſsimis in ſenio viribus admiratio: æquitati enim congruum fuit, vt qui in iuuēta ætate ſeniles mores enutriuit,

vires in ſenectute iuueniles mercedem quaſi opulentiſsimam reciperet. In eo vitæ inſtituto, cui tanto plus encomij debetur, quanto longiùs ab illaudabili (quoniam ſine recto ſenſu) vulgi ſententia recedit, quicquid felicitatis inter mortales datur, id totum ſenectuti ſuæ ſapienter vendicauit. Quocirca rebus omnibus ſempiternæ obliuioni demandatis, præter vnam, quæ in benigno illius animo altiſſimas radices fixit, in ſubditos ſui quàm maximè obſeruantes caritatem, vt qui antea publicæ ſibi parentium vtilitati vixerat, quicquid vitæ reliquum erat, per animi tranquillitatem exigeret, diuinis rebus omninò vacabat, famulum, qui optimis litteris eſſet informatus, varios auctores legentem audiebat, cum admodum R. P. Paulo Maſio ex Minimis viro omnigena eruditione ornato philoſophicos, nec non theologicos ſermones agitabat, diem obitus tanquàm non longè abſentem ſæpè, ac ſæpius animo euoluens quietam, ac tranquillam vitam iam diù ſe optaſſe dictitabat, vnde poſt diutiſsimam Ducatus adminiſtrationem rationes cum Cœlorum Terrarumq; Imperatore componendi otium non deficeret. Verùm quo pacto Deus ad ineuitabilem lethi neceſſitatem læto vultu

excipiendam non optimè paratum inueniſſet Principem, qui ſemper adeò vixit; vt mortem nihilo magis,quàm perpetuam vitam humanæ cupiditati expoſitam pertimeſceret? Sapientiæ ſuaſu illud cogitabat,mortem non eſſe malum, ſed potius bonum ſummo bono proximum, maximèq; neceſſarium, cuius beneficio Conditori noſtro iungimur, ab eo nullo vnquam tempore, nullo vnquam caſu diſiungendi. Eiuſmodi ſpes tanto magis eum poterat enutrire, quòd ipſa in longo vitę ſpatio virtutum nutrimento ſuauiſſimo alebatur. Quoniam ſciebat Franciſcus Maria Sereniſsimus, non meliorem eſſe conditionem Principum, quàm hominum priuatorum, quos è præſenti vita nudos abeuntes non auro fucatæ opes,ſed nuda opera poſt ſæculi finem mortalium oculis apertè inſpicienda comitantur, ob id non auri, vel argenti (hæc enim in vita pauperibus impertiuit) ſed incorruptibilium meritorum copiam poſt ſe non grauatè ferendam congeſſit. Cum hac ſarcina pretio magis, quàm pondere grauiſsima ad immortalitatem iter aggreſſus, ſtatim vt finem finium attigit,res omnes à ſe prudenti conſilio geſtas adamantino lapidi inſculptas vidit, illis paratam à Deo bonorum

norum omnium largitore præmium inter beatos ſpiritus recepit, vt qui in terris regnãs Dei ſeruitium minimè neglexit, in cęleſtem Aulam translatus æternã felicitatẽ exigeret. Diſceſsit Franciſcus Maria Sereniſsimus, noſq; in profundo lacrymarum Oceano, doloris copia æſtuante, miſeros dereliquit. Diſceſsit quidem; ſed non abijt, quia rerum ab eo, quæ cum ingenti gloria coniunctæ fuerunt, ſpecies ante mortalium oculos immortalis obuerſari non ceſſabit. Sed quo pactó non abijt, qui cùm olim ad noſtrã infelicitatem imperaret, nũc ad immortales tranſlatus nullum inter mortales occupat locum? At ei locus inter mortales non debetur, qui quàm diù in terris fuit, animo, & opere in Cœlos ſtudioſus anhelauit. Quinimò nullum locum habere ne dicatur, qui in omnium linguis, & cordibus inter vltima officia obſequiorum plena detinetur. Abijt (repeto) & quòd grauius videri poteſt, illuc abijt, vnde etiam ſui amantium, optantium ſui clamoribus, vel aſſiduis grauiter euocatus nunquàm tamen ad noſtras ſedes poterit reuocari. Igitur lugeamus, deploremus, quoniam res noſtræ, tanto Principe iam viuo, feliciſſimæ, nunc eodem mortuo, miſeræ ſunt, &

deploratæ. Quinimò hac de cauſa, quæ & ſi noſtri omnium publica, attamen ſi reliquos reſpicimus, priuata omninò eſt, ne lugeamus, ne deploremus: iſtud enim ſi fieret, propriæ vtilitati nimis arctè adhærentes, priuatum incommodum lamentari videremur. Communem potius Europę calamitatem à ſingultibus nunquàm ceſſantes doleamus, quæ in Franciſco Maria Vrbinatium Duce virtutum omnium̃ Ducem, Muſarum Patrem, Politicorum Doctorem, Litteratorum Mecœnatem, Optimorum Defenſorem, Perfectiſſimi Principis expreſſum exemplar amiſit. Vulnus igitur eſt immedicabile, calamitas irreparabilis, caſus ad vniuerſæ poſteritatis memoriam per lacrymarum aquas traſmittendus. Verùm quid profuerint lacrymæ, niſi vt dolorem, qui grauiſſimus eſt, longè etiam efficiant grauiorem? O vtinam efficerent! vt Principis à nobis perpetuò abfuturi merita indeficiens doloris abundantia teſtaretur. Sed lacrymæ dolorem non̄ augent, potius hunc ipſum oſtendunt. Secus ſi eſſet, nemo certè in lacrymas, quæ oculis pęnam addunt, veluti ſuimet inuiſus propenderet: natura enim quicquid mali præſentit, à ſe prohibere conatur, non amplectitur. Quid

(re-

(repeto) profuerint lacrymæ? Illud fortaſſe, vt Quercus Feltria mortis telo intercifa à lacrymarum noſtrarum humectatione germina emittat? Non ita ſanè. A fato enim fuit, nempè à Deo, vt ſimul ac ſui annoſitate cum ingenti omnium dolore in terram corruit, ad commune omnium detrimentum radicitus etiam aruerit. Quinimò hac de cauſa inceſſanter deploremus, quòd Franciſcus Maria præſentis vitæ beneficio reſtitui non poſſit, vt tot, tantaq; cum eo nobis amiſſa beneficia reſtituantur. Eia igitur Ciues, nemo inter nos Sereniſs. Principis morti lacrymarum parcus cenſeatur, qui eiuſdem vitæ congruo cultu, & obſequio nunquàm illiberalis apparuit. Sed cùm melius recogito, idem ſit principium, & finis lacrymarum. Vtrumque neceſsitati pareat, quæ per diuinæ benignitatis largitatem ex miſeria non parum felicitatis reportauit. Neceſſe fuit, vt Quercus Feltria licèt à natura ſui robuſtiſsima conſumptæ iam ætati cederet grauiſsimo annorũ pondere onerata. Debuit aliquando in terram cadere ad impenſiorem ſui gloriam inter cœleſtes arbores non apud Iouem fictitium ſuperſtitioſæ gentis Numen, ſed apud Deum, qui cùm omnes iuuet,

verè Iuppiter eſt appellandus, ſurrectura. Vbi Feltria Quercus aruit ſupremi Agricolæ manu reciſa, eiuſdem beneficio iam iam excretam conſpicimus VRBANAM LAVRVM & Ioui, & Phœbo amiciſſimam, ideòq; nullius non liberaliter iuuatricem. A Quercu opimas victorias accepimus: à LAVRO triumphos glorioſiſſimos non fruſtrà expectamus. Fatalis fuit Quercus amiſsio: nō inutilis apparet amiſſionis per LAVRVM reparatio aureis glandibus in APES VRBANAS diuinitùs commutatis. Iam in Quercu robur ſuſpeximus: nunc in LAVRO robur, & dulcedinem ſimul experimur. Ad Quercus vmbram in vtramq; aurem dormitauimus: ſub LAVRO alternatam cum cibo quietem affluenter captamus. Neq; captatio incerta, aut auara. APES ſunt præſtantiſſimæ in ſuis ad Aluearios regreſſibus Hyblæ Apibus fœcundiores. Ab iſtis inclementiam ne vereamur. Cùm Reges ſint, ab aculeorum punctionibus, quinimò ab ipſis aculeis longiſſimè abſunt. Indicia ſunt poſſeſſio vniuerſæ Vrbinatium ditionis ab Excellentiſs. D. THADÆO BARBERINO PONTIFICIS MAXIMI Nepote maximo humaniter adeò, adeò benignè adita, vt vniuerſus Popu-

lus lacrymis gaudia commiſceret, pro amiſſo Principe mœrorem mellei ab APIBVS regni iam maturati fruitione attemperaret. Felices Populi turbarum, quæ Regni mutationem conſectantur, immunes! qui Principe amiſſo, communem omnium Patrem verbo BARBERINVM, re ipſa VRBANVM ordine VIII. verè Octauum Orbis miraculũ, maiore etiam, quàm vniuerſi Orbis, regno (quoniam illi virtutes omnes certatim ancillantur) meritiſſimum inuenerunt. Vtinam diu regnet, quippe qui calamitates, miſeriaſq; à temporum improbitate ſcaturientes optimis conſilijs valeat propulſare. Qui gladium vtraq; parte acutum geſtat; ſed cùm ipſum pro communi omnium ſalute ſtringat, cunctas nationes ſibi verentes, ac reuerentes obſtringit. Quocirca Vrbinates omnes VRBANI imperij felicitate cumulati, nihil ab illius Sede ſacroſancta deſiderio ſuo relictum, inter publicos applauſus, conclamant, præter æternitatem.

Don Carolus Gorranus Rector Pęnitentiariæ, pro Eminentiſs.& Reuerendiſs. Archiepiſc.

Imprimatur.

Fr. Hieronymus Onuphrius Conſultor S. Officij, pro Reuerendiſs. P. Inquiſit. Bonon.